

ad sequens generale Capitulum Roma 300. fratres convenerint, et brevi deinceps fere per omnes mundi plagas fuerint disseminati.

(11. Anno 1567. a Pio V. prohibitum fuit, sub indignationis suæ pœna, ut nullus ex fratribus Capuccinis ad Ordinem S. Francisci de Paula, nec e converso ullo unquam tempore, et quacunque etiam justissima causa, vel de licentia suorum Superiorum se transferre possit, quæ Bulla exstat penes Passorel. in collect. privileg. f. 116. Idque omnino esse servandum decrevit S. C. Regul. auctoritate ei concessa a Papa Gregorio XIV, sub pœna tam transeuntibus quam illos recipientibus privationis Officiorum ac vocis activæ et passivæ.

(12. Hic etiam congruit advertere, quod per Const. Pauli III, ann. 1537, Fratribus Capuccinis prohibitum fuit recipere Fratres Minores de Observantia, sine licentia in scriptis eorum Provincialium Ministrorum, sub pœna excommunicationis, et inhabilitationis ad quævis officia et legitimos actus. Et Julius III, in constitutione sua 10, Officii, anno 1550, declaravit talem professionem seu receptionem, sine dicta licentia Ministrorum in scriptis, esse nullam, et Capuccinos recipientes esse supradictas censuras incursum. Quod postea ab aliis Pontificibus fuit confirmatum. (13. Possunt tamen Capuccini ipsos Discalceatos Fratrum Minorum Hispa-

niarum, volentes transire ad arctiorem observantiam Franciscanam recipere, dummodo licentiam in scriptis ab eorum Ministris Provincialibus obtineant, uti habetur in constit. Sixti V.

(14. Cum Fratres in commune vivant, et victum ac vestitum a religione petant, illis non licet in particulari possessiones, annuos redditus, vel alia immobilia possidere. Neque in communi quidem Capuccinis aliquo modo hoc conceditur; ita ut nec redditus, nec possessiones aliquas possunt habere, licet etiam horum proprietates non Fratribus, sed dominis rerum sit reservata, vel ipsi Ecclesiæ Romanæ. Etenim in prædictis omnibus aliqua provisio in futurum annexa est, quæ eorum regulæ repugnat, et ab ipsa expresse prohibetur.

(15. At non solum agros, vineas et domos, sed et omnia, quæ successive fructificant inhihentur possidere. Ita ut armenta, oves, vaccas, jumenta ipsi habere non licet. (16. Et insuper notandum, quod nequidem licet quasdam recipere elemosynas, quas quotannis tenentur facere Fratribus quædam Confraternitates, hospitalia, aut communitates, ita ut civiliter ad id cogi possint: tales enim elemosynæ naturam sapiunt redditus, et civilem habent obligationem annexam, quarum Fratres incapaces sunt. *Cosarub. compend. Privileg. Fratrum Min., verb. Paupertas.*

CARDINALES.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad eorum originem, creationem et numerum.*

1. Cardinalium origo unde desumpta. — 2. Cardinales sicuti figuratim originem videntur trahere a sacerdotibus levitici generis, sic exemplariter ab apostolis Christi institutionem videntur habere. — 3. Cardinalis autem nomen ante tempora S. Silvestri Papæ extitisse non constat: unde nomen Cardinalis ab ipso Silvestro creditur adinventum. — 4. Prima enim in ecclesiasticis monumentis Cardinalium mentio invenitur in Concilio Romano celebrato post conversionem Constantini Imperatoris præsentem ipso S. Silvestro. Et in litteris donationis factæ Ecclesiæ ab ipso Constantino Imperatore ante celebrationem hujus Concilii nulla fit mentio de nomine Cardinalium. — 5. Post Sanctum Silvestrum vero Romani Pontifices passim hoc nomine *Cardinalis* utuntur. — 6. Imo sic exinde hujus nominis *Cardinalis* usus invaluit, ut fere in omnibus principalioribus Ecclesiis præcipui sacerdotes Cardinales reperirentur constituti, donec successivis temporibus ad Romanæ Ecclesiæ senatum Summo Pontifici assistentem cardinalitia nomenclatura fuerit revocata, cum prohibitione, ne deinceps alius quilibet clericus hujusmodi nomen usurparet. — 7. Et merito undequaque hoc Cardinalium nomen supremo Rom. Eccles. Senatui fuit reservatum. Sacer enim Cardinalium senatus a cardine nomen accipit; ad. n. 8. — 9. Creatio Cardinalium diversimode, diversisque ritibus pro diversitate temporum, et pontificum fuit hæcenus acta, et nostris temporibus penitus obsolevit, quod in Cæremoniali Romano disponitur de promovendis Cardinalibus feria quarta quatuor anni temporum, et de voto Sacri Collegii exquirendo, an novos creare Cardinales necesse sit, vel expediat, et in quo numero. — 10. Summus enim Pontifex pro

suo libitu quos vult, et quando vult, ad cardinalatus fastigium promovet, nulla adstrictus necessitate exquirendi Cardinalium suffragia, sed solum pro quadam sui convenientia, eorum petendo consilium. — 11. Imo nulla præcisa forma necessario observanda in Cardinalium promotione utitur Summus Pontifex, sed verbis sibi benevisis promotionem indicantibus complet. — 12. Licet cateroquin in cæremoniali Romano propria forma tradatur, quæ hic adducitur. — 13. Exinde, si noviter promoti reperiantur in urbe, eodem, quo prius utebantur habitu, ad aulam apostolicam, nullo assumpto comitatu, se conferunt, ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus excepti, Summo Pontifici offeruntur, qui birreto rubro eos insignit. — 14. Ex post publicum indicitur consistorium pro eis tradendo galero rubro die benevisa pontifici, qua adventat omnibus Cardinalibus in aula apostolica congregatis, Summus Pontifex mitra pretiosa ornatus ad locum consistorii more solito accedit, et statim post acceptum consuetum obsequium a Cardinalibus, præcipit, ut noviter promoti ad se accedant, ad quos habito gravi sermone de cardinalitia præstantia, et stricta pro tanti muneris Cardinalium obligatione, ex post ipsi noviter promoti pedes, et manus Pontificis osculantur, qui ad oris osculum eodem elevat, indeque ad pacis signum ab aliis Cardinalibus excipiendum deducuntur. — 15. Istis, aliisque præscriptis cæremoniis peractis, traduntur eis cardinalitia insignia. Et stantibus interim aliis Cardinalibus ante Summum Pontificem in circulo, primus ex noviter promotis, deinde alii gradatim genuflectunt, cui Pontifex galero rubrum imponit super caput, sic dicens: *Ad Laudem Omnipotentis Dei, etc.* — 16. In altero consistorio Summus Pontifex claudit os novis Cardinalibus, eis inhihendo, ne quid loqui præsumant in consistoriis, aliisque consensibus, quousque de consilio fratrum duxerit eis aperire os; in secundo vero aut tertio consistorio, omnibus Car-

dinalibus congregatis Summus Pontifex præcipit, ut noviter promoti exeant, donec ipse sciscitetur ab antiquis Cardinalibus, an expediat os noviter promoti aperire; atque omnibus plaudentibus, revocantur candidati, et paterne a Pontifici admoniti, ad aperitionem oris accedunt, quæ his verbis expletur: *Aperimus vobis os, etc.* — 17. Promotio tandem perficitur cum annulorum traditione, titulorumque assignatione; ipsis enim genuflexis ante Summi Pontificis cathedram Pontifex immittit cuique in digito annulari dexterae manus annulum pretiosum ad id præparatum, assignando titulum his verbis: *Ad honorem Dei Omnipotentis, etc.* — 18. Reliqua autem, quæ observantur in his promotionibus, et maxime, cum promoti sunt absentes ab urbe Romana, satis habentur ex Cæremoniali Romano, et probatis auctoribus, qui assignantur. — 19. Solum hic adducitur, quod promoti ad cardinalatum, dum sunt absentes a curia, jurare debent in receptione birreti rubri intra annum se accessuros ad limina apostolorum sub pœna inhabilitatis, et privationis cardinalatus. — 20. Licet ab Eugenio IV, fuerit decretum, quod Cardinales in secreto consistorio pronuntiati, non dicantur Cardinales antequam cardinalatus insignia susceperint, neque vocem in electione Summi Pontificis habeant, donec sit eis licentia votandi concessa. — 21. Tamen hodie Cardinales ex actu creationis perfecte creati censentur, et habent vocem in electione Pontificis absque alia facultate, quamvis cardinalatus insignia non obtinuerint, os eis apertum nondum fuerit, nec eis fuerit traditus annulus, et titulus assignatus. — 22. Adducitur ad id decretum S. Pii V. — 23. Et sic fuit resolutum, et observatum in practico casu post obitum Clementis VIII. Et etiam in electione Clementis X. — 24. Ad cardinalatum promovendi debent habere ea omnia, et singula requisita et qualitates, quæ pro Episcopis præficiendis a sacris canonibus decernuntur. — 25. Cardinales ex omnibus mundi partibus debent eligi. — 26. Ex regularibus mendicantibus quatuor saltem fieri debent Cardinales theologi. — 27. Illegitimi, etiam per sequens matrimonium legitimi, ad cardinalitum dignitatem non sunt promovendi. — 28. Unde tanto majus cardinalitia dignitate arcendi sunt spurii. — 29. Cardinalis eligendus debet esse prius clericus. — 30. Filios, vel nepotes ex eis habens nequit fieri Cardinalis. — 31. Cardinalis esse non potest frater ex uno parente germanus, vel patruelis, consobrinus, aut amittinus alicujus Cardinalis viventis. — 32. Patruo, aut avunculo Cardinale vivente, ejus ex fratre vel sorore nepos nequit fieri Cardinalis; sicuti nepote ex fratre vel sorore Cardinale vivente, nequit fieri Cardinalis illius patruus, et avunculus. — 33. Imo neque ullus potest esse Cardinalis, qui primo aut secundo consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi sit conjunctus. — 34. Bigami ad cardinalatum non solent assumi. — 35. Ad cardinalatum non sunt assumendi nisi lectissimi, præcellentes, et undequaque digni viri. — 36. Ætas pro Cardinalibus presbyteris, et Episcopis requisita est triginta annorum. — 37. Pro Cardinalibus autem Diaconis sufficit ætas 22 annorum. — 38. Numerus Cardinalium varius olim fuit pro varietate temporum, et Summorum Pontificum, qui juxta exigentiam, et temporum, seu rerum variam emergentiam plures, vel pauciores Cardinales creabant. — 39. Inter omnes, qui plures Cardinales creaverit, est Pius IV, qui pervenit usque ad septuagesimum sextum, quo neque ante, neque post perventum est. — 40. Tempore tamen Sixti V, numerus septuagenarius invariatus remansit, prout ipse ad instar illorum septuaginta seniorum, quos Dominus Auditores et Consiliarios Moysi dedit, constituit. — 41. Cardinales igitur septuaginta esse debent, scilicet sex Cardinales Episcopi, quinquaginta Cardinales presbyteri, et quatuordecim Cardinales Diaconi. — 42. Et cuilibet ex omnibus istis septuaginta Cardinalibus juxta suum ordinem est assignata sua particu-

laris Ecclesia, titulus, et diaconia. — 43. Affertur ad id constitutio Sixti V. — 44. Ecclesiæ, tituli et diaconia S. R. E. Cardinalium assignantur. — 45. Quid notandum de titulo S. Laurentii in Damaso. — 46. Cardinales accedentes ad urbem debent se Pontifici præsentare, et item ab illo licentiam petere ante discessum. — 47. Cardinales non residentes non gaudent participatione rotuli. — 48. Qua tamen, cum accedunt ad urbem, frui possunt. — 49. Cum judicant in causis commissariis uti debent notario archivii. — 50. Tribui illis potest episcopatus in partibus infidelium. — 51, 52. De antiqua denominatione et origine Cardinalium. *Remissive.* — 53, 66. De numero Cardinalium. — 67. Cardinalis nominis origo. — 68, 70. Quibus tributum. — 71. Differentia quæ est inter R. Ecclesia et cæterarum Ecclesiarum Cardinales. — 72. Diversa eorum nomina. — 73. De eorum origine. — 74, 75. Cardinalium tituli et diaconia. — 76. Episcopi suburbicarii. — 77. De collatione titulorum.

ARTICULUS II. — *Quoad Cardinalium Dignitatem, et præminentiam.*

1. Cardinalatu nulla est major dignitas post papatum in Ecclesia Dei. — 2. Nec obstat, quod Cardinales ordine sint minores Episcopis. — 3. Præminentia non est commensuranda ab ordine, sed ab officio, et jurisdictione, quæ dant dignitatem. — 4. Episcopi non præsumunt, nisi uni certæ diocesi, et Cardinales representantes magistratum una cum Papa præsumunt regimini totius universalis Ecclesiæ. — 5. Tantæ dignitatis, præstantiæ, et præminentia sunt Cardinales, quod ipsis solis est demandata auctoritas eligendi Summum Pontificem. — 6. Hanc auctoritatem concessit eis in primis Nicolaus II, cum hoc tamen, quod facta præcipue ab ipsis Cardinalibus Summi Pontificis electione, deinde reliquus clerus, ac populus ad eam comprobendam accederet. — 7. Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alexandri III, qui statuit, quod ille censeretur canonice electus, in quem duæ ex tribus collegii Cardinalium partes consensissent; et sic excluso cleri et populi consensu, tota Pontificis electio ad solum Cardinalium collegium redacta est. — 8. Unde in electione Lucii III, immediati successoris dicti Alexandri III, tunc primum redacta fuit ad solos Cardinales, clero omnino, et populo a Summi Pontificis electione exclusis. — 9. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis Cardinalibus demandata, fuit confirmata, et plenius statuta a Gregorio X et a Clemente V, et ex post fuit semper inviolabiliter in ipsis conservata. — 10. Cardinales soli possunt deferre pileum, seu galero rubrum eis concessum ab Innocentio IV. — 11. Soli ipsi Cardinales possunt deferre birretum purpureum, sive pileum rubrum. — 12. Privilegium ferendi birreta, et pileos rubros more aliorum Cardinalium fuit postea etiam extensum ad Cardinales regulares a Gregorio XIV. — 13. Soli ipsi Cardinales possunt vocari cum titulo Eminentissimi, et Vestrae Eminentia. — 14. Imo Cardinales sunt tantæ dignitatis, et præminentia, ut eorum dignitas non parum Regiam Majestatem æmulari contendat. — 15. Nec desunt Reges, qui Cardinalibus præminentiam in sedendo, et scribendo cesserint. — 16. Ista præminentia debetur præcipue Cardinalibus collegium representantibus. — 17. Cardinalium collegium est honorabilius membrum, quod habet Ecclesia Dei, et dicitur gremium Romanæ Ecclesiæ. — 18. Unde Cardinales æquiparentur Regibus. — 19. Adducitur decretum a particulari Congregatione editum, et a Clemente XI, approbatum, et servari mandatum circa assecutionem decanatus Sacri Collegii Cardinalium. — 20. Affertur constitutio Benedicti XIII, qua decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem licet a Romana curia absentem, dummodo tempore vacationis ejusdem decanatus apud priorem

sibi commissam Ecclesiam personaliter resideat, de venire decernitur; pluraque alia, quoad Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum optionem statuuntur. — 21. Affertur constitutio Clementis XII, qua prævia confirmatione, et innovatione alterius constitutionis San. Mem. Pauli Papæ IV, anno 1555, editæ, decernitur decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ipso jure deferendum esse Cardinali antiquiori Episcopo, qui tempore vacationis ipsius decanatus in Romana Curia præsens, vel ex causa publica, ac Romani Pontificis destinatione duntaxat, non tamen ratione residentie apud aliam Ecclesiam sibi commissam, a dicta curia absens fuerit; aliaque insuper statuuntur, et ordinantur, tam circa ejusmodi decanatum, quam circa sex Episcopatus suburbicarios eisdem Cardinalibus assignari solitos pro titulo sui cardinalatus. — 22. 25. De honoribus quibus prosequendi sunt Cardinales. *Remissive.* — 24. De Cardinali pœnitentiario, et urbis Vicario. *Remissive.* — 25. De Cardinalium dignitate. *Remissive.* — 26, 50. Quando Cardinales cœperunt Episcopis antecere. — 31. Cardinalium dignitas non semper tam illustris fuit. — 32. Quando supra Episcopos assurgere cœperint. — 33. Unde illorum elatio repetenda. — 34. Alia hujus rei causa. — 35. 36. Cardinales Episcopi principaliorum partem obtinebant in electione Pontificis. — 37. Ad Cardinales Episcopos private spectat Pontificis consecratio. — 38. Cardinalium purpura. — 39. De usu mittendi pileum.

ARTICULUS III. — *Quoad Cardinalium residentiam, et eorum jurisdictionem in suis Titulis, aut Diaconiis.*

1. Cardinales tenentur residere in suis titulis. — 2. Alias si canonicè moniti non redeant, et resideant, sunt privandi, ut de facto fuit privatus Cardinalis Anastasius a Leone IV. — 3. Cardinales tamen non residentes privari non debent, nisi legitime moniti non redeant. — 4. Alias quantumcunque vagabundi discurrant, ante legitimam, et canonicam monitionem, ut redeant, non sunt privandi. — 5. Cardinales sic contumaciter non residentes possunt deponi sine concilio. — 6. Et de facto Bonifacius VIII, Cardinales Columnenses sine concilio deposuit. — 7. Imo Cardinales sic contumaciter non residentes, possunt deponi a Papa, etiam sine consilio, et consensu aliorum fratrum Cardinalium. — 8. De honestate tamen non debet Papa Cardinalem deponere, vel alia ardua expedire sine fratrum consilio. — 9. Cardinales non possunt a Romana curia abscedere sine licentia Papæ. — 10. Et ideo Summi Pontifices varias constituerunt pœnas contra Cardinales recedentes a Romana curia sine Papæ licentia. — 11. Adducuntur compendiose variæ pœnæ ab Innocentio X, contra Cardinales recedentes a Romana curia sine papæ licentia, et ad ipsam intra tempus statutum non redeuntes. — 12. Cardinales etiam non Episcopi habent in suis titulis, et in Ecclesiis suis titulis subjectis, episcopalem jurisdictionem. — 13. Adducitur, et explicatur responsum ad id datum a Gregorio XIII. — 14. Cardinales in suis titulis habent jus visitandi, sicut Episcopi in suis episcopatibus. — 15. Sic etiam habent Cardinales in suis titulis jus corrigendi, excommunicandi, suspensionis, et interdicti sententias fulminandi. — 16. Item in suis titulis habent cardinales jus instituendi, et destituendi. — 17. Et sic possunt Cardinales conferre beneficia suarum Ecclesiarum. — 18. Intellige tamen, quando sunt præsentés in curia, seu in urbe, nam in absentia solus Papa confert. — 19. Et pariformiter possunt Cardinales recipere resignationes beneficiorum existentium in suis titulis. — 20. Cardinales possunt in suis titulis interesse matrimoniis, vel aliis interessendi facultatem concedere. — 21. Cardinales in suis titulis habent jus utendi insigniis pontificalibus, et solemniter benedicendi more Episcoporum, licet non sint Episcopi. — 22. Item Car-

dinales presbyteri etiam si Episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram, et omnes ordines minores suis subditis et familiaribus. — 23. Item possunt Cardinales in suis titulis commutare ultimas voluntates illis casibus, quibus possunt Episcopi respectu suorum subditorum. — 24. Et etiam in suis titulis possunt dispensare in iis votis in quibus dispensare possunt Episcopi in suis diocesisibus. — 25. Tandem possunt Cardinales sive per se, sive per suos Vicarios in suis titulis reliqua facere quæ sunt jurisdictionis episcopalis. — 26. Et ideo Cardinalis Vicarius urbis non cognoscit de causis sub titulis Cardinalium. — 27. Et supradicta procedunt non solum in Cardinalibus presbyteris, sed etiam in Cardinalibus Diaconis, scilicet, ut illi in suis titulis, hi vero in suis diaconiis, quasi episcopalem habeant jurisdictionem. — 28, 29. De residentia Episcoporum Cardinalium. — 30. Cardinales possunt in suis titulis conferre minores ordines et tonsuram. — 31. Cardinales Episcopi suburbicarii quomodo procedere debeant in ordinatione suorum subditorum. — 32. Possunt tonsuram conferre in capella palatii urbis. — 33. Quomodo excusantur a materiali residentia. — 34. Illorum capella non debet censi fictione juris, adherens Episcopatu suburbicario. — 35, 42. De jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum titulorum. — 43. Archipresbyteri patriarchalium basilicarum. — 44. Quando archipresbyter Ecclesiæ Lateranensis simul cœperit esse Cardinalis. — 45. De optione ad Episcopatus suburbicarios.

ARTICULUS IV. — *Quoad Cardinalium privilegia.*

1. Cardinales primo gaudent privilegio Episcopis concessio, ut generali statuto, vel sententia interdicti, aut suspensionis non includantur, nisi eorum specialis, et expressa mentio fiat. — 2. Secundo, Cardinales gaudent privilegio eligendi sibi confessorium etiam non approbatum ab Ordinario. — 3. Imo Cardinales omnes possunt etiam suis familiaribus commensalibus confessorium etiam alias non approbatum designare. — 4. Hinc etiam ex praxi curiæ dicti familiares in die paschatis accipiunt communionem in oratoriis suorum Cardinalium. — 5. Tertio, Cardinales de jure communi gaudent privilegio altaris portatilis. — 6. Hodie tamen Cardinales, alique privilegiati omnes attendere debent quoad hoc novissimum decretum Clementis XI, de celebratione in oratoriis privatis, et posteriorem declarationem allatam sub verb. *Oratorium* num. 70. — 7. Quarto, Cardinales gaudent privilegio, quod lites, quas habent inter se, a Papa sint iudicandæ et decidendæ. — 8. Quinto, Cardinales in delicto debent ex jure antiquo convinci, antequam condemnentur, per testes 72, si sint episcopi; per 64, si sint presbyteri; et per 27, si sint diaconi. At contrarium hodie. — 9. Sexto, Cardinales exempti sunt a gabellis, datis, tributis, et aliis oneribus camerilibus. — 10. Septimo, Cardinalium clerici omnes domestici, commensales se possunt illis in recitatione officii conformare. — 11. Octavo, Cardinales eo ipso, quod ad cardinalatus fastigium sunt assumpti, remanent soluti a patria potestate. — 12. Nono, Cardinales orto schismate, et duobus de papatu contententibus, concilium congregare possunt. — 13. Decimo, a sententia ex voto Cardinalium, seu consensu lata, minime appellatur. — 14. Undecimo, Cardinales in beneficiis non includuntur in regulis Cancellariæ faciendis post constitutionem 6 Urbani VIII, nisi fiant de consensu illorum, vel majoris partis. — 15. Duodecimo, Cardinales in commissis sibi Ecclesiis a Sede Apostolica, possunt beneficia conferre, et jurisdictionem exercere ante captam possessionem, et ostensionem litterarum. — 16. Tertio decimo, beneficia familiarium Cardinalium non possunt conferri per Papam sine consensu Cardinalis patroni. — 17. Quarto decimo, Cardinales iudicant familiares private, quoad alios

etiam Cardinales, et ideo etiam Vicarius Papæ non iudicat tales familiares, sed eos remittit suo Cardinali, qui ad pœnam habet privatum carcerem. — 18. Quinto decimo, Cardinales gaudent privilegio habendi partem reddituum Camere Apostolicæ. — 19. Sexto decimo, Cardinali asserenti aliquid actum in præsentia Papæ, vel dicenti sibi vivæ vocis oraculo a Papa mandatum fuisse, credi debet. — 20. Decimo septimo, Cardinali asserenti se esse legatum, creditur circa ordinariam potestatem, etiamsi litteras suæ legationis testes non exhibeat. — 21. Decimo octavo, Cardinalis dicto, de consuetudine curiæ, statur in his, quæ dicta, vel facta sunt coram eo. — 22. Decimo nono, Cardinales Episcopi habentes indultum, possunt, non obstante decreto sanctæ memoriæ Clementis VIII, ante vacationem unire seminario beneficium, quod obtinet familiaris Papæ defuncti. — 23. Vigesimo, privilegia omnia Episcopis ob status dignitatem concessa, ad Cardinales extenduntur propter majorem eorum dignitatem, quam habent. — 24. De plurimis aliis privilegiis, quibus gaudent omnes Eminentissimi Cardinales. *Remissive.* — 25. De numero privilegiorum Cardinalium. — 26, 29. De privilegio Cardinalium in testando. — 30. Cardinalis professus ex ordine Hierosolymitano testare non potest sine Pontificis permissione. — 31, 38. De cæteris privilegiis Cardinalibus concessis.

ARTICULUS V. — *Quoad Cardinales in conclavi, et sede vacante.*

1. Cardinales ingredi debent conclave transactis decem diebus a morte Papæ. — 2. Cardinales non possunt habere in conclavi ultra duos servientes clericos vel laicos sibi benevolos. — 3. In conclavi Sede Apostolica vacante debet adesse unus religiosus pro confessionibus audiendis a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus. — 4. Cardinales Episcopi audita morte Papæ tenentur accedere ad conclave, et post duos menses ab electione, et coronatione Papæ redire ad suum episcopatum sub pœna contra Episcopos non residentes. — 5. Cardinales non intrantes conclave, vel exeuntes sine causa, non sunt amplius requirendi, nec admittendi ad electionem faciendam. — 6. Cardinalibus infirmis exeuntibus a conclavi, alii debent prosequi electionem, et convalescentes possunt redire. — 7. Similiter absentes, qui intra decem dies non se stiterunt, si supervenerint re integra, debent admitti ad conclave. — 8. Dato casu quo Papa pereat extra civitatem Romanam, vel extra eam, in qua erat curia, tunc Cardinales tenentur convenire in civitate, in cuius territorio, seu districtu Pontifex obiit; et ibi in palatio episcopali, vel alio commodiori loco construere conclave, et Papam de more eligere. — 9. Ex Constitutione Gregorii X, in cit. e. *Ubi periculum*, debent Cardinales habitare in habitatione communi, sed Clemens VI, constit. incip. *Licet*, decrevit, ut eorum cellæ per cortinas dividantur. — 10. Cardinales in conclavi nulli alteri negotio vacare possunt, quam negotio electionis Pontificis, nisi Ecclesiæ necessitas urgeat; et tunc negotia, quæ peraguntur, debent esse omnibus nota. — 11. Cardinales in conclavi nullo debent admittere ad se venientes, nec cuiquam debet dari aditus ad ipsos, et facultas cum eis secreta loquendi. — 12. Nec cuiquam licet mittere ipsis Cardinalibus, vel alicui eorum nuncium, vel scripturam, aut cum aliquo ipsorum secreta de negotiis loqui sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. — 13. Gregorius X, in cit. e. *Ubi periculum* statuit, ut Cardinales intra tres dies deberent Pontificem eligere; alias iis transactis, per 5 dies sequentes unum solum ferculum haberent; et si intra 5 non eligerent, pane tantum, vino et aqua reficerentur. — 14. Et merito hæc lex constituta fuerat, ad præcavendam de cætero infinita prope modum detrimenta, quæ passa fuerat Ecclesia in

tam longa Sedis Apostolicæ vacatione continuata post mortem Clementis IV, sui immediati prædecessoris per annos duos, menses novem, et dies duos. — 15. Hæc Gregorii X, constitutio fuit de facto post ejus mortem statim a Cardinalibus executioni demandata, utpote qui elegerunt Innocentium V, prima, vel altera die ab ingressu in conclave. — 16. Cardinales in conclavi excludi non possunt ab electione activa, vel passiva ratione excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. — 17. Plura alia observanda a Cardinalibus in conclavi fuerunt statuta ab ipso Gregorio X, in cit. cap. *Ubi periculum*, a Clem. VI, constitutio incip. *Licet*, a Concilio Constantiensi sess. 41, a Pio IV, constit. incip. *In eligendis*. — 18. Sed in variis fuerunt moderata, et reformata a Gregorio XV, constitutione incip. *Decet Romanum*, et ab Urbano VIII, constit. incip. *Ad Romanam*; quæ adhuc hodie observantur. — 19. Cardinales in conclavi existentes possunt in suis titulis jurisdictionem exercere non personaliter, sed per suos Vicarios et ministros. — 20. Sic etiam Major Pœnitentiarius in conclavi existens, potest, non personaliter, sed per officiales pœnitentiariæ exercere officium suum extra conclave. — 21. Sic pariter Camerarius Cardinalis in conclavi existens potest, non per se, sed per suos ministros et officiales, suum exercere officium. — 22. Cardinales non sunt cogendi intrare conclave, nisi in casu, quo nullus vellet intrare, vel in casu, quo non electo Pontifice, omnes simul, vel successive exire contingeret. — 23. Sede vacante Cardinalium collegium non succedit Pontifici in his quæ ratione excellentiæ, dignitatis, eminentiæ, ac prærogativæ tantum sunt reservata. — 24. Unde sede vacante nec potest Cardinalium Collegium creare Cardinales. — 25. Imo sede vacante nec potest Cardinalium Collegium restituere, et habitare Cardinales per Papam privatos, seu depositos, nequidem ad vocem. — 26. Nec potest sede vacante tradere insignia cardinalatus Cardinalibus nuper creatis, eisque os claudere et aperire. — 27. Nec potest sede vacante Episcopos creare, vel electos confirmare, nec jam creatos deponere. — 28. Cardinalium Collegium, sede vacante, beneficia conferre non potest. — 29. Nec mirum, quia nec inferiora collegia hoc habent mortuo prælato. Quamvis jurisdictio prælati, sede vacante, transeat in collegia inferiora. — 30. Et jurisdictio et potestas Papæ, sede vacante, non transeat in Collegium Cardinalium. — 31. Unde in hoc Collegium Cardinalium est deterioris conditionis, quam sint inferiora collegia, in quæ sola transit jurisdictio, sede episcopali vacante, et non in Collegium Cardinalium, vacante Sede Apostolica. — 32. Assignatur ratio specialitatis et diversitatis. — 33. Cardinales, sede vacante, nec in arduis possunt se immiscere, nisi pro terra Ecclesiæ defendenda, et grandi evidenti periculo imminente. — 34. Cardinalium Collegium, sede vacante, nullam potestatem, aut jurisdictionem habet, gratiam aliquam, aut justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi. — 35. Potest autem Collegium Cardinalium, sede vacante, mittere unum Cardinalem pro terra Ecclesiæ defendenda, vel evidenti indigenti periculo. — 36. Sic etiam potest Cardinalium Collegium mittere Cardinalem ad Papam electum in absentia, et ad illum reducendum ad urbem; illique expensas necessarias constituere de redditibus Romanæ Ecclesiæ. — 37. Qui tamen missus Cardinalis in utroque casu, non esset proprie legatus cum jurisdictione, et potestate Legati, sed Nuncius ad illam tantummodo necessariam defensam; vel ad nudum illud ministerium facti. — 38. Item potest Collegium Cardinalium, sede vacante, Legatum missum a Papa revocare, ex magna et evidenti necessitate. — 39. Non autem sic posset revocare sine magna et evidenti necessitate. — 40. Duobus de Papatu contententibus, et generale concilium convocare renuenti-

bus, potest fieri convocatio a Collegio Cardinalium. — 41. Cardinalium Collegium potest, et debet intrusum in papatu anathematizare, et extrudere. — 42. Cardinalium Legatorum Apostolicorum officium non expirat per obitum Papæ, seu sede vacante. — 43. Congregationum Cardinalium facultates sunt perpetuæ, et non expirant per obitum Papæ; sed etiam durant in tempus Pontificum successorum. — 44. Creato Pontifice facultates congregationum nunquam consueverunt renovari, sed fiunt congregationes prout solebant vivente Papa prædecessore. — 45. Licet congregationum Cardinalium facultates per obitum Papæ non expirent, tamen sede vacante, Cardinalibus in conclavi manentibus debent conquirere, et dormire, quoad negotia illa, et causas, quæ in congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis præfecti, seu habentis sigillum. — 46. Congregationum Cardinalium facultates per obitum Papæ non expirent, tamen sede vacante, Cardinalibus in conclavi manentibus, expediri licentia pro puellis educandis; et eadem ratione dari poterunt transumpta et duplicata, seu ut vocant: *Ita reperitur*, et alia hujusmodi. — 48, 50. De constitutionibus, quas Cardinales initio conclavis servare promittunt.

ARTICULUS I.

Quoad eorum originem, creationem et numerum.

(1. Cardinales originem videntur habere figuraliter a Sacerdotibus Levitici generis, ut tradit Eugenius IV in *Constit.* incip. *Non mediocri*, ex verbis *Deuteronomii 17: Si difficile, et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, et facies quodcumque dixerint, qui præsent loco, quem elegerit Dominus*, verba hujusmodi referendo ad Summum Pontificem, et S. Romanæ Ecclesiæ cardinales, principales in Ecclesiæ regimine ejusdem cooperatores, assessores et consiliarios, juxta expressam auctoritatem Innocentii III in *cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi*, cujus verba de Cardinalibus disserendo sunt ista: *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis, Fratres nostri, qui nobis Jure Levitico in executione Sacerdotalis Officii Coadjutores existunt*. Unde tali textu animati quam plures gravissimi Doctores non dubitarunt asserere Cardinalium officium quoad suam primordiale originem, et adumbrationem Juris esse Divini, vel quidem Sacerdotum Levitici generis typum, et figuram tenere. Abbas et alii Canonistæ in *dict. capit. Per venerabilem*, S. Antonin. *part. 3, tit. 21, c. 1 et 2*. Augustin. *Triumph. in tract. de potest. Ecclesiast. quæst. 102*. Cardin. Bellarm. in *Apolog. cap. 4, pag. 35*. Barbat. *tract. de Card. præst. qu. 1*. Laudens. *de Card. part. 1, qu. 34, et part. 2, qu. 7 et qu. 12*. Alban. *de Card. part. 5*. Paleot. *de Sac. Consistor. membr. 5, cap. 11*. Turrecremat. *l. 2, c. 80 et 81*. Lancell. in *templo omnium Judic. lib. 2, cap. 2, § 3, num. 27*. Chac. in *Instit. Canon. lib. 3, tit. 4, num. 53*. Germon. *l. 3, Sac. c. 6*. Macedo *de clavibus Petri, lib. 4, c. 8*. Camill. Borr. in *Summa omnium dec. tit. 5, num. 8*. Azor. *part. 2, lib. 4, qu. 2 et alii*. (2. Cardinales sicut figuraliter origi-

ARTICULUS VI. — Quoad Cardinalium sepulturam, et quartam parochialem.

1. Cardinales Romæ decedentes, non electa sibi sepultura, ubi sepeliri debeant. — 2. Si tales Cardinales nondum habuerint titulum, sepeliendi sunt in Ecclesia S. Joannis Lateranensis. — 3. Si Cardinales decedentes, non electa sepultura, habeant sepulcrum majorum, in eo sunt sepeliendi. — 4. Cardinales autem decedentes extra urbem sive in patria, sive alibi, sive in itinere, antequam ad urbem pervenerint, non electa sibi sepultura, nec habentes ibi sepulcrum majorum, sepeliendi sunt in Ecclesia majori loci obitus. — 5. Nisi tamen alicui parochiæ sint obligati ex receptione sacramentorum. — 6. Cardinalis regularis potest sibi eligere sepulturam ubilibet sine licentia superioris regularis; alias decedens, non electa sepultura, sepelitur in propria Ecclesia sui tituli, ad n. 7. — 8. Nullis autem Cardinalibus permittitur unquam sepeliri in basilica Vaticana. — 9. Quarta autem parochialis, seu portio canonica debetur proprio paroco ex funere Cardinalium, qui sepeliuntur extra Parochiam. — 10. Forma et solemnitas in exsequiis S. R. E. Cardinalium. — 11. Explicatur auctor. num. 1. Cardinales sepeliri debere in Ecclesiis suorum Titulorum.

nem videntur trahere a Sacerdotibus Levitici generis, sic exemplariter ab Apostolis Christi institutionem videntur habere. Instituti enim fuerunt exemplo Apostolorum, qui Christo Domino in terris tanquam Pontifici assistere videbantur. Sixtus V in *Constitut.* incip. *Postquam verus*, ibi: *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales representantes personas Apostolorum, dum Christo Salvatore regnum Dei prædicanti atque humanæ salutis Mysterium operanti ministrarent, etc.*, ut notat Jacobat. *de Conc. lib. 1, num. 252*, quem refert Azor. *Instit. Moral. part. 2, lib. 4, c. 1, q. 3*. Barbosa, *lib. 1, Juris Ecclesiast. univers. c. 3, n. 2*. Petra, *t. IV, comment. in Constit. 15*. Eugen. IV, *num. 9*. Et post Christi Domini Ascensionem Petro Pontificale munus gerenti assistebant, cooperantes in regimine universalis Ecclesiæ, tanquam Cardinalatus Officium exercentes, adeo ut Apostolos prius partes Cardinalium in urbe Roma obisse, quam Episcoporum, expresse inquit Cardin. Petrus de Alliaco *de Auctor. Eccles. cap. de Cardin.* præcisus his verbis: *Ex hoc potest inferri, quod Apostoli prius Cardinales, quam Episcopi fuerunt, etc., prius fuerunt Cardinales Orbis, quam Urbis*; et infra: *Senatui Apostolorum succedit Collegium Sacrum Cardinalium quantum ad illum statum, quo Apostoli consistebant Petro, antequam ferent particularium Ecclesiarum Episcopi*. Et simili sensu locuti sunt Anton. Pagan. in *Ordine jurisdict. et resident. Episcop. serm. 2 circa finem*. Fridericus Imperator, et omnes Doctores Pragense Academia, quando contra errores Joannis Huss subscriperunt, ut apparet ex eorum verbis relatis a Thomassino *de Benefic. part. 1, lib. 2, cap. 114, num. 3, § qui minus* quibus aperte constat. cit. Eugenii IV, *Constitutio* incip. *Non mediocri*, ubi dicit Cardinalium Officium B. Petri tempore primordia habuisse.

(3. Cardinalis autem nomen ante tempora Sancti Silvestri Papæ existisse non constat,

unde quidquid existiment alii, nomen Cardinalis ab ipso Silvestro creditur adinventum; (4. cum prima in Ecclesiasticis monumentis Cardinalium mentio inveniat in Concilio Romano celebrato post conversionem Constantini Imperatoris præsentate ipso S. Silvestro, in cujus *art. 1, cap. 6 et 7* septem Diaconi Cardinales Urbis Romæ, qui dicto Concilio interfuerunt, descripti reperiuntur, ut ex Card. Borr. notat Chæll. in *notit. Card. cap. 2*, et in ipso Concilio sic statutum fuisse legitur: *a Subdiacono usque ad Lectores omnes subditi sint Diacono Cardinali, viro Reverendissimo in Ecclesia, representantes ei honorem, etc.* Et in eodem quoque Concilio de Cardinalibus S. R. E. fit sequens mentio: *Præsul non damnetur, nisi cum 72 testibus, Presbyter vero Cardinalis nisi cum 64 testibus non deponatur, Diaconus autem Cardinalis Urbis Romanæ nisi cum 27 testibus non condemnabitur*, sic refertur in *cap. Præsul. 2, qu. 5, caus. 2*. Et in litteris donationis factæ Ecclesiæ a Constantino Imperatore ante celebrationem hujus Concilii, nulla fit mentio de nomine Cardinalium, quod nomen tantæ Eminentie et Dignitatis non fuisset certe tunc ab Imperatore reticium, qui de Clericis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sic reverenter et emphatice fuit locutus, ut patet in *cap. Constantinus, dist. 99: Viris etiam diversi Ordinis Reverendissimis Clericis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus, illud culmen singularis potestatis, et præcellentiæ habere sancimus, cujus amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari*. (5. Post Sanctum Silvestrum vero passim Romani Pontifices hoc nomine Cardinalium utuntur, ut patet in variis Sacris Canonibus, et signanter in *cap. Presbyteri 3, distinction. 24*, ubi Gelasius Papa scribens Cælestino Episcopo sic ait: *Scilicet Visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse*. Et Gregorius post ipsum Gelasium eodem nomine sæpius utitur, ut in *cap. Pastoralis 42, caus. 7, quæst. 1*, ibi: *In qua ordinatus es Cardinalis a nobis debeas Ecclesia permanere, et in cap. Relatio 5, caus. 21, quæst. 1*, ibi: *Sibi Cardinalem postulant te constitui, et cap. Illud quoque 6, ejusdem caus. et quæst.*, ibi: *Sic te prædictæ Tarraconen. Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus*. Et ex post Stephanus IV in *cap. Oportebat 3, dist. 79*, ibi: *In Apostolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus consecraretur, et cap. Nullus 4, ejusdem Distinctionis 79*, ibi: *Nisi per distinctos gradus ascendet Diaconus, aut Presbyter factus fuerit Cardinalis*. Et deinceps Nicolaus II in *cap. In nomine Domini 1, dist. 23*, ibi: *In primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes mox Christi Clericos Cardinales adhibeant; et sic alii posteriores, ut videre est in Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus*. (6. Imo sic exinde hujus nominis Cardinalis usus invaluit, ut fere in omnibus principioribus Ecclesiis præcipui Sacerdotes Cardinales reperirentur constituti, donec successivis temporibus ad Romanæ Ecclesiæ Senatui Summo Pontifici assistentem Car-

dinalitia nomenclatura fuerit revocata, cum prohibitione, ne deinceps alius quilibet Clericus hujusmodi nomen usurparet, ut refert Ludovicus Roman. in *Sermone habito in Concil. Basileen. sive in cons. ult. num. 14*. Et cum adhuc a Canonicis in variis præcipuis Metropolitanis Cathedralibus, ut Ravennatensi, Compostellana, Mediolanensi, Neapolitana et aliis, Cardinalitium nomen, ex prætensis seu suppositis privilegiis retineretur, S. Pius V, anno 1567. *13 Kal. Mart.* harum Ecclesiarum privilegia (si quæ aderant) suo diplomate abrogavit, et in omnibus aliis Ecclesiis præterquam in Romana, Cardinalis nomen totaliter exstinxit, et solos S. Romanæ Ecclesiæ a Summo Pontifice creatos Cardinales hoc nomine decorandos esse sancivit, ut refert Chæll. in *notit. Card. cap. 2, § Et ideo*, ex Moscon. *de Majestat. milit. Eccles. lib. 1, part. 1, cap. 5, vers. propter*. (7. Et merito undequaque hoc Cardinalium nomen supremo Romanæ Ecclesiæ Senatui fuit reservatum, nam ex *cap. Sacrosancta 2, dist. 22: Apostolica Sedes caput, et cardo a Domino, et non ab aliis constituta est, et sicut cardine ostium regitur, sic hujus Apostolicæ Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ (Domino disponente) reguntur*. Unde Senatus Cardinalium (ut ibi exponit Archidiaconus) a cardine nomen accipit, quasi se regat, et alios; sicut enim ostium regitur per cardines, ita Ecclesia per istos; et Cardinales Cardines dicuntur in Romana Ecclesia duplici similitudine, vel quia sicut domus habet ostium et cardinem, sic Ecclesia habet Papam, qui est ostium Dei vel Ecclesiæ, et Cardinales, etc. » (8. Et his consentiunt Patres Basileensis Consensus de S. R. E. *Cardinalibus sess. 23*, ibi: *Sicut nomine, et re ipsa, Cardines sunt, super quos ostia universalis Ecclesiæ versentur et sustententur*. Et Eugenius IV in *Constitut.* incip. *Non mediocri*, § 14, de Cardinalibus sic expresse dicit: *Quorum Officio nomen ipsum consonat optime, nam sicut super Cardinem voluitur ostium domus, ita super eos Sedis Apostolicæ et totius Ecclesiæ ostium quiescit*. Ad quod non dubitavit alludere Chæll. in *notit. Card. cap. 2, § et ideo verbis lib. 1 Reg. c. 2, Domini enim sunt cardines terra, et posuit super hos orbem*.

(9. Creatio Cardinalium diversimode diversisque ritibus pro diversitate temporum et Pontificum fuit hætenus acta, et nostris temporibus penitus obsolevit, quod in Cæremoniali Romano *lib. 1, sect. cap. 1 cum seq.*, disponitur de promovendis Cardinalibus feria quarta quatuor anni temporum, et de voto Sacri Collegii exquirendo, an novos creare Cardinales necesse sit, vel expediat, et in quo numero? (10. Summus enim Pontifex pro suo libitu, quos vult, et quando vult, ad Cardinalatus fastigium promovet, nulla adstrictis necessitate exquirendo Cardinalium suffragia, sed solum pro quadam sui convenientia eorum petendo consilium, ut directe probat Card. de Luca in *relat. Roman. Cur. disc. 5, num. Card. Jacobat. de Conc. lib. 7, art. 3, num. 117*, et alii adducti